TL VIII
15

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS.
DE

COLICA.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris
D. PHILIPPI REINHARDI VITRIARII,
J.U.D. ejuſdemque Facultatis Profeſſoris Ordinarii.
NECNON
Ampliſſimi Senatûs Academici unanimi Conſenſu,
& Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summiſque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis
ritè & legitimè conſequendis,
Publico examini ſubjicit
HENRICUS SUPPRIAN, HAMBURGENSIS.
Ad diem 29 Iunij, à 10. ad 12. horam.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. MDC XCIII.

VIRIS

Præ-Nobiliſſimis, Ampliſſimis, Conſultiſſimis atque Doctiſſimis

DN. GERHARDO SCHRÖDER, J. U. D.

DN. RUTGERO RULANT, J. U. D.

DN. JOHANNI SCHEEL, J. U. L.

Dominis Fautoribus atque Patronis ſuis Optimis, multis nominibus maxime colendis,

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

Diſputationem hanc Inauguralem, cum omnigenæ proſperitatis voto, gratitudinis ergo, offert dedicatque

AUTOR.

I. D.

PROOEMIUM.

Quantis cum miſeriis ac calamitatibus homini ſit per vitam luctandum, varia, quibus obrui ſolet, mala, ſatis demonſtrant. Ex horum numero, morbi infiniti corpus humanum excruciantes, ſunt: è quibus tamen nulli formidabiliores, quam qui comite dolore, illud invadunt. Hic humani corporis ejusque partium carnifex horribilis, hic tyrannus crudelis, plura alia ſymptomata ſecum gerens.

Hujus tyrannicum ac crudele imperium non nobilitate reliquis antecellens, non dignitate ſuperior, non uſu neceſſarior pars excutere poteſt. Quæque ſuos, à dolore, patitur manes. Quæque tortorem hunc propriis fovet viſceribus.

Hinc illæ lacrymæ, ejulatus, hinc vigiliæ, anxietates, hinc lipothymiæ & centena alia, hunc preſſo pede, ſequentia: ut recte dici queat, nulla hic calamitas ſola.

Hunc Capitis atrox dolor, alium dira Pleureſis vexat. Hujus in articulos, gravibus dolorum tormentis, irruit Arthritis, illius renes, horrenda calculi perſentiunt incommoda.

Verum plurimos Dolores ſilentii peplo involvere ſatius erit, quam eorum recenſione, diutius commorari. Impræſentiarum Paſſionem Colicam, dirum illum affectum, qui mirum in modum, triſtiſſima ſenſatione, excruciat miſerorum inteſtina, & nonnunquam patrio relicto foco, exteras invadit hoſtiliter partes & ſæpe ad mortem eas enervat, ſiſtimus, loco ſpeciminis Inauguralis à Gratioſiſſima Facultate Medica nobis injuncti. Faxit Æternum & Venerabile Numen, ut omnia feliciter eveniant.

§. I.

Ut autem more recepto procedamus, ſtatim in frontiſpicio noſtri propoſiti, à vocis ſignificatu initium facturi ſumus. Nomina enim ajunt eſſe imagines rerum, quibus intellectui propoſitis, ipſæ res, uti ſunt, exprimuntur & concipiuntur. Dicitur autem Colica ἀπὸ τοῦ κώλου, quod Græcis membrum & latius inteſtinum, medium ſcilicet inter tria craſſa, notat: Dictum ἀπὸ τοῦ κολάζειν torquendo, quatenus ope ſuorum ligamentorum corrugatum & quaſi contortum, ut plurimas cellulas & valvulas conniventes dictas, præbeat, vel τοῦ κωλύειν prohibendo, quatenus, ob dictas cellulas, prohibet, ne ſcybala nimis cito ad rectum inteſtinum prolabi & ſic alvi depoſitionem frequentiorem urgeri poſſint. Alias dicitur Chordion, Chordapſus, quia inteſtina chordæ inſtar tendi autumant, vel potius, quia inteſtina Chordæ appellabantur. *Vid. Rolf. Epit. method. cogn. & curand. part. corp. affect. p.* 257. Veteribus ſub nomine Ilei ſive Volvuli veniebat. Ileus enim generale fuit nomen eo tempore Colicum Dolorem complectens, quod ex Galeno *lib. 3. epid. comm.* 2. *Ægrot.* 9. videndum, ubi dari Ileum in inteſtinis craſſis in explicatione hiſtoriæ mulieris volvuloſæ inſinuare ſatagit. Ipſe Dolor κωλικὴ διάθεσις, κωλικὸν ἄλγημα Græcis. Dolor Colicus, Affectus Colicus, Paſſio Colica, Latinis appellatur: & nonnunquam vel ad exprimendum doloris atrocis gradum, vel quod inteſtinorum convulſio, dolorem mox ſequatur, quod ex ani retractione ſcybalorum & flatuum exitu denegato vomitu inani &c.

de

de quibus in ſeq. luce clarius patet, Colica cum additamento convulſiva, appellatur. Celſus laxioris inteſtini dolorem & plenioris inteſtini morbum *lib.* 8. *c.* 7. *lib.* 4. *c.* 14. *nominat.*

§. II.

Explicatis nominibus, quæ rerum quaſi involucra, cortice hoc abjecto, nucleum ipſum deguſtare opportunum eſt. Progredimur itaque ad propoſiti affectus deſcriptionem, dicentes: Colica eſt partium infimi ventris, inteſtinorum, præſertim Coli, ac præcipue horum fibrarum nervearum tenſio & vellicatio dolorifica, eaque vel vaga vel fixa, ſed magis indefinita, cum dolore circa umbilicum, mox ad latera, lumbos, protenſo, aucto & tenſivo, adſtrictione alvi; Vomitu, ſudore faciei, Lipothymia ac Convulſione, ſubſequentibus: ab inæqualitate irritante vellicante diſtendente fibras nerveas.

§. III.

Generis ſive rationis formalis vicem tenſio & vellicatio dolorifica, uno verbo dolor affectarum partium conſtituit. Differentiam vero ſpecificam pars affecta & afficiendi modus, quatenus illa tenſio dolorifica vel vaga vel fixa, & quod maximum, indefinita eſt, ita ut locus dolore affectus definitus, ab ipſo ægro indigitari haud poſſit. Quod hunc affectum ab Ileo maxime diſcernit, de quo in ſequentibus.

I V.

Nunc de ſubjecto, ut monitis Celſi ſatisfaciamus, qui *lib.* 4. *de re Med. c.* 1. *dicit.* Facilius omnium interiorum morbi curationes in notitiam veniunt, ſi prius eorum ſedes oſtenſæ fuerint. Veriſſimum dictum. Quomodo enim cauſa morbifica cognoſci, medicamenta ſecundum artis præcepta præſcribi & curatio inſtitui poteſt, parte affecta prius nec ſatis cognita nec perſpecta? SUBJECTUM itaque ADÆQUATUM ſunt inteſtina omnia (Ventriculum & Meſenterium non excludimus) PRIMARIUM Colon. Sunt autem inteſtina longæ, rotundæ, cavæ, in abdomine diſpoſitæ, fiſtulæ, maxima ex parte meſenterio alligatæ, quarum ſuperiores verſus ventriculum ſpectantes, tenues, inferiores verſus anum craſſæ vocantur. Illæ ſunt quaſi ventriculus continuatus, quæ Chylum, è ventriculi orificio dextro, Pyloro dicto, propulſum, ulterius perficiunt, & ut per vaſcula lactea melius permeare poſſit, motu ſuo aliquantulum adjuvant & blande impellunt.

ſunt. Hæ caput mortuum ſive ſcybala inutilia foras per Podicem eliminant. Tribus inteſtina omnia conſtant tunicis: interna nervea, media carnea, ultima membranoſa à Peritonæo orta. Vaſa innumerabilia, per Meſenterium prius diſperſa & ramificata in tunicas eorum terminantur, arterioſa, venoſa, lactea, lymphatica, nervi.

§. V.

Inteſtina hæc dolore affici poſſe nemo facile negabit, cum ſubſtantia eorum membranoſa, ob fibras nerveas (quæ tactus genuinum & adæquatum ſubjectum, adeoque doloris) & nervos plurimos, quibus referta, ſit maxime ſenſibilis. Quo plures enim nervos pars aliqua dolens habet, eo acutior & ſenſibilior eſt dolor. An vero ſolum colon, vel ſimul cœtera inteſtina à Dolore Colico torqueantur, ulteriori indiget diſquiſitione.

§. VI.

Communiter quidem in ſolum colon, inteſtinorum capaciſſimum, quia ope ligamentorum ſuorum ita corrugatum ut plurimæ cellulæ conſtituantur, à quibus fæces & flatus facilius remorari poſſunt: Item quia cœco quod flatuum receptaculum eſſe dicunt, proxime adjungitur, omnis derivatur culpa. *vid. Celſ. lib.* 4. *cap.* 7. Sic Clariſſim. Sylvius *lib.* 1. *prax. c.* 14. *§.* 11. poſtquam inteſtini coli gyros expoſuit, inquit, in abdominis ambitu ac circumferentia modo deſignata, exortus dolor vere colicus dicendus eſt, quamvis nonnulli eum tantum hoc beant nomine, qui partem abdominis ſuperiorem cinguli modo, angit & torquet, inſcii, aut immemores, quam ſæpe uſque ad umbilicum & quandoque uſque ad veſicam, inſigni anfractu per medium abdomen volvatur colon. Jungatur *Rolf. Epit. meth. cogn. & curi corp. aff. part. p.* 257. Verum Celeb. Williſ. & Carol. Piſo à communi hac ſententia recedunt, ille viſcera omnia, imprimis vero meſenterium, hic peritonæum & cerebrum accuſat. Uti videri licet *Part.* 2. *de Anim. Brut. cap.* 15. *p.m.* 321. *& ſeq.* Nos cum laudatis Autoribus Sylvio & Rolf. colon præcipue ac frequentius affligi in hoc morbo, & partem primario affectam eſſe aſſerere non dubitamus, ſed ſimul cœtera inteſtina non excludenda eſſe ſimul dicimus: ideo horum quoque mentionem facere in morbi deſcriptione nulli dubitavimus. Urgente enim morbo & ſubſequente convulſione ac motus ordinarii inverſione, nonſolum cœtera inteſtina ſed & tota infimi ventris regio turbatur,

unde

unde aliquando ſuos quoque ventriculus & meſenterium expe-riuntur manes. Confer. Dolæi *Encycl. med. lib.* 3. *p. m.* 456.

§. VII.

Ad SIGNA nos ordo ducit. Hic affectus, etiamſi ex triſti ſenſatione in abdomine, de qua ægroti conqueruntur ſatis, innoteſcat, attamen plerumque altioris ſolet eſſe indaginis: unde non ſolum ægros, ſed & ipſos Medicos aliquando prima fronte decepit, ita ut Colicum pro Nephritico haberent, quod ſibi ipſi accidiſſe, ingenue fatetur Galenus *l.* 2. *de loc. p. n. aff. c.* 2. Itaque ut in cognitione certiores fieri, & ab aliis cum quibus non exiguam affinitatem habet, bene diſtinguere poſſimus, eorum quæ eum comitare ſolent, ratio habenda. Quamprimum incipit, umbilicus ejuſque vicinia retrahuntur, nec non alvus ipſa, quæ mox pertinaciter adſtringitur depoſitionem omnino negans, nonnunquam vero hæc libera, nec tamen vel minimum adjuvare viſitur, ſaliva limpida interim copioſe os perluit. Hinc atrox dolor potiſſimum centraliter circa umbilicum, iſque profundior, terebro perforanti, aut palo infixo haud abſimilis, ſe exerit, qui modo ad latera, modo ad lumbos ſe diffundit, utplurimum vagus, rariſſime fixus, ſitum inteſtini coli ſæpius obſcure delineans, accedit inflatio tenſiva ventriculi & hypochondriorum flatibus obmurmurantibus, mox nauſea, ructus, vomitus, dyſuria, ſequuntur. Pulſus celer, communis omnibus doloribus, deprehenditur, ſudor frigidus faciem occupat, pavores, convulſiones & ipſa lipothymia imminent. Et hæc utplurimum, modo majori modo minori concurſu fiunt. Plur. vide ſis in obſ. Lommii *p. m.* 184. *ſeq.*

§. VIII.

Ex iis quæ præcedenti numero recenſuimus facillimum erit affectum propoſitum, ab aliis, cum eo affinitatem quandam habentibus, diſtinguere. Sic à peritonæi doloribus & muſculorum abdominis, qui ſublimes, dolor profundior diſcernit. Ab Ileo, dolorifica tenſio indefinita, quæ in Ileo definita eſt, licet graviori in Colica, dolorem definitum locum occupaſſe experiatur, unde facilis tranſitus Colicæ in Ileum. Nephritici & Colici Doloris maxime difficilis diſtinctio, ſequentibus advertitur: in nephritico dolor gravativus in lumbis conſtans & perpetuo affligens iſque acerbius corpore inclinato, ad teſticulum ejuſ-

dem

dem lateris tendens, qui hinc nonnunquam retrahitur; in colica vero vagus eſt. Decubitus in partem affectam intolerabilis eſt in nephritico, in colico non item. Colicus poſt paſtum augetur, nephriticus vero minuitur. Ab excretis per alvum & vomitum colico majus levamen accedit, quam nephritico dolore laboranti. Urina primum clara tenuis, pauca & cruenta, poſtea vero arenulæ & lapilli ſimul in nephritico excernuntur, in colico non item. Denique ſtupor cruris è directo renis laborantis in nephritico. *Vid. Rolſ. lib. citat. pag.* 262. Item Lommius *in obſerv. p.* 187. De cœteris doloribus, qui Hepar ventriculum uterum &c. affligunt, cum ſint cognitu faciliores nihil dicamus. Unicum addimus, nempe quod hypochondrii ſiniſtri dolores, lieni imputati ſint ſæpius inteſtinorum, præcipue coli, ob anguſtiam quandam quam in ea regione habet, contenta facile remorantem, non vero ſemper ipſius lienis, qui nullum dolorem niſi gravativum obtuſum habere poteſt, de quo Excell. Etmull. *in coll. pract. cap.* 10. *p.* 158. vid. quoque Sylv. *prax. lib.* 1. *c.* XIV. §. V.

§. IX.

Propoſitis ſignis, CAUSAM inquirere ſuſcipimus: quomodo enim morbos curari conveniat, ſciri non poteſt, cauſa morbi ignota. Hinc eleganter Tullius; Medici ait, cauſâ morbi inventâ, curationem eſſe inventam, putant.

IMMEDIATAM itaque quod attinet CAUSAM, ea eſt ſolutio continui intentata & in fieri citra evidentem hiatum, confertim & cum impetu facta, uti omnes fere Medici profitentur.

MEDIATA vero PROXIMIOR eſt omne id quod ſolutionem hanc continui inferre poteſt. Nempe inæqualitas manifeſta irritans, vellicans, diſtendens, quam in affectus deſcriptione poſuimus, quæ à variis cauſatur rebus.

Sic *flatus* p. n. craſſi, non ſolum diſtendendo inæqualiter inteſtina, ſed ob acrimoniam quam ſæpe habent, vellicando & rodendo fibras & villos nerveos, expanſorum inteſtinorum, *dolores colicos* cauſantur. Ita ut ad brachii magnitudinem, in demortuis à paſſione colica, viſa ſint inteſtina extenſa, quod Excell. Wed. Præceptor & Patronus noſter ad aram colendus vidit, uti ex illius ore aliquando id audiviſſe meminimus.

Flatus hi oriuntur à cruditate acida pituitoſa viſcida, coctione non bene habente & calore debili; Excitant quoque eos omnia

facile

facile fermenteſcibilia, fructus horarii, cerevifia recens, muſtum, leguminoſa &c. aſſumpta.

Poſt flatus humores ſeſe offerunt peccantes, ſanguis & ſerum. Sanguinem & ſerum maxime hic qualitate peccare, hinc motu perſuaſi ſumus, particuliſque ſalinis, acidis, tartareis adhuc reſolutis, ad coagulationem tamen pronis, conſtare, unde leviſſima de cauſa v. gr. à frigore, ab extra vel ab intra admiſſo, viſcoſiores redditi, ſibimet ipſis in vaſis & porulis membranorum inteſtinorum viam præcludunt, ſtagnant, ſtagnatione vero ab humore à tergo ſubſequente, continuo cumulantur & premuntur, preſſi fibras diſtendunt ſpiculiſque ſuis ſalinis rodunt, unde nervorum extremitatibus vellicatis, ſpiritus irritati & in motu ordinario turbati, inordinati majori quantitate irruunt, motus convulſivos, tum in parte affecta, tum malo diuturniori & graviori, indifferenter in alias quaſcunque retorquent. Et hæc præcipua *Colicæ* gravioris *convulſivæ* dictæ cauſa. vid. Ettmull. *coll. pract. cap.* x. *p.* 160.

Non ſolum autem humores in inteſtinorum tunicas & poros ſuffuſi, dolorem hunc excitant, verum quoque contenta quævis acriora in cavitate illorum, v. gr. chylus vel vitio ventriculi, vel bilis diverſitate, vel alius vitioſo charactere aceſcens, pituita, bilis &c. quatenus & materiam præbent flatibus & acrimoniâ rodunt, in cauſa eſſe poſſunt. Hanc cauſam Celeb. Williſius prorſus eludit, rationemque ſuam adducit, dicens, ſi dolor colicus à contentis acrioribus & irritativis exoritur, procul dubio quæ ventrem ſolvunt, atque flatus & fæces copioſe educunt, certiſſimum levamen adferrent; cujus contrarium ſæpenumero evenit, nempe à catharſi violenta & crebriori morbum iſtum intendi *part.* 2. *de Anim. Brut. cap.* 15. *p.* 321. Verum utrum neceſſarium ſit conſequens, quod eductis copioſe flatibus & fæcibus levamen certiſſimum ſit ſperandum, merito dubitamus. Tollitur quidem morbus, ſed ſublata cauſa, & hoc tamen non ſemper in inſtanti. Itaque licet flatus & fæces educantur, humores peccantes acriores tamen, omnino educi & non in plicis & valvulis conniventibus aliquid adhuc latitare poſſe, non evincitur, unde cauſâ remanente & perſeverante, effectus non ceſſabit. Ad hoc, purgantia potius malum exaſperare poſſunt, dum non ſolum mucum inteſtinorum ſimul educunt & lanuginoſam interiorem tunicam magis denudant, fundendo & reſolvendo, verum etiam acrimoniâ ſuâ

humores peccantes ſtimulant, acrioreſque reddunt: ſic molem virtute compenſant, quantitatem minuendo, qualitatem vero augendo, unde alius effectus, hiſce ſolis adhibitis, non poteſt ſperari.

Unus adhuc obſtat, qui prima fronte, humores acres in inteſtinis contentos, excuſare videtur, nempe teneſmus: in hoc acrimoniam aliquam peccare non negare poſſumus. Verum non omnis humor acris ſed qui intenſiore acrimonia pollet & in halitus groſſos reſolvi & fermentari aptus, colicam cauſat. vid. *Rolf. lib. citat. p.* 260. alias teneſmum ſemper colica præcedere deberet, quod tamen non fit: denique rectum inteſtinum & ſphincterem ſenſu delicatiori pollere & à levioribus affici poſſe nemo negabit, impr. dum ſcybala nonnunquam duriora, mucum abradunt & materiæ acri, viam ſternunt, ut eo melius fibras nerveas irritare poſſit.

Flatibus & humoribus ſuccedunt CAUSÆ MEDIATÆ REMOTIORES, & primo quidem *Res Naturales*, uti ſunt *Temperamentum pituitoſum, melancholicum, cholericum, habitus corporis macilentior, ſexus virilis, ſiccitas* inteſtinorum, unde ſcybala indurata exitum ſibi & flatibus occludunt, *cruditates* acidæ, pituitoſæ, viſcidæ. *Non naturales, Aër frigidus* incaute admiſſus, *Motus* fortior, à quo humorum motus citatur & vitioſi ſimul in motum rapiuntur, bilis copioſius ſecernitur &c. *Cibi* facile corruptibiles, fermenteſcibiles. *Potus* frigidus, cereviſia recens nondum ſatis defæcata, imprimis poſt motum fortiorem, nimis avide hauſta vel pinguioribus comeſtis ſuperingurgitata, vinum turbidum, fæculentum, muſtum &c. *Ira* de quo *Tulpius lib.* 2. *obſ.* 41. *p.* 167. *Præternaturales*, ut hernia inveterata, imprimis ſcrotalis, quatenus facilius prolapſa in ſcrotum inteſtina, frigus ſuſcipiunt & læduntur, imo incarcerantur quandoque, ut remorentur contenta. vid. *Lotich. l.* 4. *c.* 6. *obſ.* 8. Lumbrici quoque varie conplicati & conglomerati paſſionem hanc cauſarunt, quod obſervavit *Fabric. Hildan. Cent.* 1. *obſ.* 57. in puella graviſſimis colicis doloribus vexata, quæ poſt clyſteris uſum, globum vermium, pugni magnitudine, excrevit & liberata fuit. Calculos quoque, & deglutita varia, nummi aurei &c., in cauſa & per anum excretos fuiſſe, obſervavit *Marcell. Donat. l.* 4. *cap.* 30.

§. X.

§. X.

DIFFERENTIÆ ſumuntur vel ab affecta parte, vel à cauſis, vel ab ipſa doloris ſpecie. *A parte* affecta, ſi coli principium afficitur, dolor magis in dextro latere, ubi vero in medio vel extremo, in ſiniſtro, vid. *Rolf. d. l. p. c.* Non vero uti in ſuperiori dictum ſolum colon ſed tenuia quoque & ipſum cœcum affliguntur, dolor v. qui colon proprie affligit, ex iis quæ §. VI. ex Celeb. Sylv. adduximus dignoſci poteſt. Differentia *à cauſis*, non parum difficultatis habet. Flatus accuſant, tenſio flatulenta hypochondriorum, murmura, dolor vagabundus. Pituitam & bilem, dolor terebrans, rodens, ægri temperamentum, habitus corporis, ætas, victus ratio, anni tempus &c. *Ab ipſa doloris ſpecie*: unde alius dolor terebrans, alius diſtendens, & quaſi diſrumpens, alius ardens &c. plura vid. *Coll. Pract. Ettmull. cap. cit.*

§. XI.

Cum vero nihil majorem Medico apud ægros conciliare poſſit auctoritatem, quam de futuris contingentibus, certa quædam proferre præſagia, PROGNOSIN attendamus. Colica quidem non omnis æque periculoſa, nulla tamen, etſi levior videatur, contemnenda. Dolor colicus remiſſior, nec admodum diuturnus, ſed vagus & inſtabilis, quique per vices intermittit & alvum non omninò conſtringit, curabilis & periculo vacat. Qui vero urget acerbiſſimus, nunquam intermittit, vires proſternit, & nihil per alvum emittit, quemque vigiliæ ac vomitus, ſingultus, delirium, extremorum refrigeratio & ſudores frigidi ſequuntur, lethalis eſſe ſolet. Mortis quoque certiſſimum ſignum, ſi ægros jam dum ab aliis morbis debiles, corripiat. Durat aliquando non diu, ſed brevi ſedatur, aliquando vero non obſtantibus remediis, per plures dies, imo hebdomadas ne dicam menſes, perſtitiſſe, obſervatum. Terminatur nonnunquam & degenerat in Paralyſin vel Epilepſiam, Arthritidem, & Iliacam paſſionem quoque, quatenus à fibrillarum corrugatione, ſanguinis circulus impeditur, unde ſtagnat, coacervatur, corrumpitur, inflammationes parit. In Icterum quoque mutatur. Relinquit poſt ſe aliquando teneſmum, qui tertio die poſt paſſam colicam utplurimum, alvi depoſitionem frequentiorem, ſed irritam ac moleſtam, urget.

§. XII.

Reſtat nunc, prælibatis iis quæ ad theoriam affectus hujus ſpectant, quo filo CURATIO ſit ducenda, mente & animo volvere. Hæc, ut eo melius procedat, pro diverſitate cauſarum, a quibus produci morbum advertitur, commode varianda, & alia in paroxyſmo, alia extra paroxyſmum, adhibenda. In paroxyſmo omni ope annitendum, ut irritatio anticolicis ſic dictis & anodynis ſedetur, flatulentum diſſipetur, viſciditas humorum incidatur materiaque in inteſtinis contenta acris, acida &c. temperetur & mitigetur, fæces induratæ & exſiccatæ molliores reddantur, vermes necentur, educantur, alvus aperiatur & aperta ſervetur: uno verbo ut dolor maxime urgens tollatur & cauſa materialis corrigatur, ut ſic indicationibus ſatisfieri poſſit. Nec vires negligendæ, ſed deficientes, quantum fieri poteſt, conſervandæ & aptis remediis reſtaurandæ. Poſt paroxyſmum vero, jubente hoc indicatione præſervatoria, cauſa morbifica prorſus tollenda, ne *recidivæ* ſint metuendæ.

Ut hæc recte curentur, indicata auxilia, ex triplici depromenda Medicorum Armamentario, Chirurgico, Pharmaceutico, Diætetico.

Ex Chirurgico quidem pauca petuntur, ſi tamen dolor diutius durat & cum inflammatione conjuncta eſt, vel eam minatur, longiori humorum circa membranas inteſtinorum l. vaſa meſenterii, ſtagnatione, & illâ morâ, conceptâ majori acrimoniâ, VS. in uſum vocari ſolet, impr. ſi febris quoque vel plethora adeſt. Non vero ſolus V. S. uſus probatur ab Autoribus, verum quoque cucurbitulæ magnæ non ſcarificatæ, ex eorum mente, umbilico applicantur, quæ præſentaneum & experientia probatum, in Colica flatulenta, præbent remedium, de quo vid. *Timæus lib. 3. epiſt. 9. p.* 167. & *River. prax. lib* x. *c.* 1.

Plura egregia diverſis ſcopis apta, ex Pharmaceutico, velut Armamentarii Medici centro, ſubminiſtrantur remedia, quæ, quâ fieri poteſt brevitate, luſtrabimus, ſuis quæque cauſis & indicationibus applicata. Dolor colicus, ſi à flatibus cum obſtructione alvi, alvus prius ſubducenda, vel lenientibus cum anodynis mixtis & per os aſſumptis, vel clyſteribus emollientibus & carminantibus, ano injectis: In omni enim Colica alvus aperta ſervanda, quantum fieri poteſt. Hinc carminativa propinanda

ut

ut flatuum materia corrigatur & diſſipentur halitus groſſi : niſi enim viæ ſint liberæ, ab adhibitis carminativis, dolores & anxietates majores conſurgere, oportet: ut *Exc. Wedel. Am. m. m. p.* 359. loquitur. *Celeb. Ettmull.* hanc quoque commendat methodum, & ſi certi ſumus, materiam obſtruentem & peccantem hærere in inteſtinis craſſis, addere purgantia jubet, ſi vero in inteſtinis tenuibus, purgantia clyſteribus admiſcere, propter metum volvuli, ſcitè prohibet, & laxantibus per os potius uti, ſuadet.

Clyſteres parari poſſunt ex emollientibus, carminativis & anodynis, ut Rad. alth. lil. alb. Herb. 5. emoll. origan. beton. thym. menth. Flor. lil. alb. malv. verbaſc. melilot. cham. ſ. & Rom. ſambuc. ſummit. aneth. Sem. fœn. græc. lin. carminat. bacc. junip. laur. &c. Coqui poſſunt, vel ex aqua, vel è vino, vel lacte, vel m. cereviſia, nec non quandoque ex urina ipſa puerorum. Colat. add. Elect. lenit. Hier. picr. ol. amygd. terebinth. ſal. comm. ſal. gemm. &c. Formulæ in *Ettmull. l. c. c. p.* 161. *& ſeqq. Timæo l.* 3. *epiſt.* 9. *p.* 165. item *l.* 3. *caſ.* XII. *p.* 123. videri poſſunt. Dolæus miro uti ait effectu, clyſteribus addit aquam Ben. Ruland. ad ℥j. ij. vid. Encycl. medic. *p.* 469. ubi antimoniales Clyſteres Riverii & Sennert. laudat, de quibus quoque *Ettmul. l. c. p. c.* Nec opus eſt majori hoc apparatu hic ſemper uti, ſiquidem paucioribus cum fieri poſſit, quid opus eſt, idem pluribus tentare velle. Unde ſimpliciſſimi clyſteres, ex ſolo oleo lini, ſola urina, in qua fl. cham. Rom. decoct. ex lacte cui Sacch. croc. & theriac. addit. cereviſiâ in qua fl. cham. coct. ex aqua ſ. cum ſal comm. non contemnendi. Clyſteres hi calore & emolliente ac reſolvente vi, dolorem tenſarum fibrarum demulcent, compeſcunt, ſedant, fæces emolliunt & educunt.

Injiciendi autem ſunt hoc in affectu non ad ℔, quia diutius retineri debent, ſed ſolito, minori quantitate alias dolorem augent potius, dum tenſa jam à flatibus & fæcibus inteſtina magis expandunt, quam minuunt. Nec ſemel injeciſſe clyſteres, ſemper ſufficere, putandum, ſed aliquoties uno die, eorum uſus repetendus eſt, ne dicam una hora. Cumque calor ſit anodynus, non de nihilo erit, remanentiam clyſterum ſi majori apparatu facti, loco cataplaſmatis abdomini calide ſuperimponere.

Interne per os ſumenda *leniendi* fine, commendantur, unctuoſa

 pin-

pinguia v. gr. manna ad ℥ij. l. iij. in juſculo calido reſoluta add. ol. amygd. dulc. rec. expr. butyr. largiter aſſumptum, quo; quidam colicis afflictus torminibus, pani largiter illito, ſuaſu Medici, uſus, ante prandium & cœnam, tormina ob fœcum ſiccitatem ſæpe recrudeſcentia, abegit. vid. *Wed. Am. m. m. p.* 222. Nec non leniter purgantia ex Mechoac. Senna, Gialap. crem. Tartar. additis anodynis & oleis carminativis. *Diſſipandi*, aromatica Sale volatili pollentia, quæ flatuum agmen diſcutiunt, acrimoniam temperant, viſcoſitatem incidunt. Horum ſelectiora quædam ſunt menth. calaminth. fol. & bacc. laur. juniper. cort. aurant. citr. cinam. caryoph. arom. horumque Spiritus & olea, item compoſita ut aqua anticolica Mynſ. carm. Doıncrell. Theriacal. Spirit. carm. Drawitt. Dolæi Eſſ. cort. citri theriac. Zedoar. Caſtor fl. cham. Rom. Abſynth. carm. Wed. fumar. compoſ. Tinctur. bez. Wed. Extolluntur quoque acida volatilia, ut ſpir. Nitri ſ. it. Nitri dulc. nec non alcalina, acorem abſorbentia, ut conch. præpar. oc Cancror præpar. Antim. diaph. Item Nitroſa & media, ut arcan. dupl. Mynſ. Nitrum ♁iat. &c. Nec omittenda ſunt hic anodyna, laudan. opiat. magiſter. anodyn. Theriac. Andr. Cœleſtis, Mithridat. &c. licet non pauci eorum uſum improbent, ſedant n. hæc dolorem, acres bilioſos humores corrigunt, flatus diſcutiunt, & ſæpius ſine his nihil efficitur. Danda autem ſunt vel per ſe, ubi implacabilis dolorum ſævitia torquet, vel cum aliis, nonnunquam cum purgantibus, ut tollatur & dolor & materia morbifica.

Exterius quoque abdomini, præprimis regioni umbilicali varia applicari poſſunt, nempe lateres calefacti, lapis ſerpentinus calefactus & linteamina calida, calori enim maxime ſtudendum. Hunc in finem laudari merentur ſacculi paregorici dicti, qui ex avena, farina hordei, furfuribus, flor. chamomill. melilot. verbaſc. ſem. cumin. carv. aniſ. conquaſſat. bacc. laur. Junip. ſale commun. &c. parantur utpl., & calefacti, abdomini oleis v. gr. aneth. cumin. chamom. rut. ſuccin. laurin. &c. uncto, imponuntur. Item empl. ut de bacc. laur. &c.

Nec prædicta hæc ſolum conveniunt in flatulenta, verum quoque in aliis cauſis, dolorem hunc producentibus, humoribus ſcilicet, tum in cavitate acrimonia irritante, tum in tunicarum poris, diſtendente & vellicante, moleſtis. De clyſteribus & laxan-

laxantibus res clara eſt, dum in omni colica, quantum poſſibile alvus aperta ſervanda. Hoc ſolum attendendum, ut in colica graviori, cui convulſio & ani retractio conjuncta, prius nervinis & anodynis dolor urgens ſedetur, hinc clyſtere, vel laxantibus & purgantibus leniter alvus ſollicitetur & noxium quodque ſimul educatur, alias methodo hac inverſa, malum exaſperari, & clyſterem in anum injectum, per os reddi, metuendum foret, quod aliquando factum eſſe obſervationes confirmant. Ex nervinis nunquam ſatis laudari poteſt, eſſent Caſtor, impr. ſi cum Tinctura carm. Wed. & anodyn. miſceatur, oleumque carioph. l. citr. addatur. Nec minori laude digna Theriaca cœleſtis, majori paulo data doſi, quæ aliis non juvantibus opem cito tulit, ſudorem movendo lenem & cauſam peccantem diſſipando, corrigendo, tollendo. Vinum quoque aromatibus, cariophyll. cinam. mace, cardam. &c. ſuperinfuſum & calefactum, non leve levamen affert. De ſudoriferis volat. & fixis, Spirit. C. C. ſuccin. ſal amoniac. ſale volat. ſuccin. C. C. C. C. uſt. unic. foſſ. lap. Cinc. conch. præp. &c. jam nihil addimus, quorum uſus è prioribus ſatis elucet. Dicta ſuperius externa huc quoque apte trahuntur.

Si vermes in cauſa, illi vel clyſtere, ex lacte & ſaccharo ad rectum pellicendi, & purgante dato per os, poſtea educendi, vel etiam anthelminticis, amaris, putredini reſiſtentibus, Mercurialibus &c. necandi & hinc purgantibus educendi.

Cæterum ſi quæ alia in inteſtinis contenta ut lapides, res deglutitæ variæ, item hernia incarcerata, hoc malum cauſant, obſtruendo, pungendo, gravando, obtructio quocunque modo fieri poteſt tollenda, noxium expellendum, & ſic ſublata cauſa, effectus tolletur.

§. XIII.

Ultimo DIÆTA addenda, hæc cauſæ morbificæ ut contrarietur obſervandum. In genere aër ſit temperatus calidus, fugiatur frigus, & corpus ac præcipue infimus venter bene contra id muniatur. Cibi ſint facilioris coctionis, bene nutrientes, vitentur viſcidi flatulenti, ut fructus horarii, legumina, item acidi ac nimis acres. Somnus moderatus quovis modo concilietur. Fortior motus, imprimis mox poſt paſtum vitetur. Alvi beneficium quotidie expectetur & ſervetur.

FINIS.

COROLLARIA.

I.

Plurimorum morborum cauſas, ventriculus male habens, erogat, eorumque fomes eſt.

II.

Hinc prudentis Medici erit, ſemper reſpicere ad ventriculum, ejuſque attendere labem.

III.

Quæ præſto eſt, ſi vel motus, vel calor, vel humor, quem fermentum vocamus, deficiat, nam his concoctio peragitur.

IV.

Deficiente itaque horum uno, ejus actio læditur, nec coctio ac ciborum diminutio decenſque provolutio, bene perficitur: unde chylus crudior paratur, variorum morborum cauſa.

V.

Qualis enim chylus, talis ſanguis, qualis vero ſanguis talis ſanitas.

VI.

Nec tamen omnium morborum cauſa in M. S. quærenda:

VII.

Multo minus in ejus abundantia aut defectu, omnium totius corporis morborum, locanda cauſa.

FINIS.